Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

traiecerunt. interim impatiente ut decuit in parricida maledictis acribus deseuientes. Et ecce puer in medio ignibus illesus apparuit et nichil erat corruptionis in eo. Viso hoc miraculo singuli assunt. alii instrumenta deferunt quibus eum flammis eripiant. alii eum ut exeat tantum uoce compellant. His assensit et exiit et in medio omnium stans. omnium ammirationi se incolomem uidendum exhibuit et odor ignis in eo non fuit. Tum uero singuli complexi infantem requirunt qualiter euasisset incendium et ille super dicta replicans de uiuifici sacramenti perceptione domina inquit que tecum in communione perbuit ipsa mihi in flammis ~~apparuit~~. affuit. ipsa mihi refrigerauit incendia. ipsa uniuersa amouit pericula. ipsa donec me educeret ex flammis nequaquam me deseruit. Audientes hec restituunt matri puerum. at patri incredulo mortem quam credenti filio decreuerat sustinendam uiolenter ingerunt. Denique fornaci unde exierat filius incolomis pater christianis inmittitur et denuo uiuentium flammis irruentibus exemptus. in momento momentaneos ignes ignibus eternis commutauit.

Antiquum trium puerorum miraculum innouatum asseris. Sicut enim ibi ignis qui non lesit pueros exussit ministros regis qui fornacem incendebant. sic et hic flamma que filium non tetigit in patrem qui filium flammis dederat deseuit. ut ueritas prouerbii inconcussa duraret. quo dicitur: Qui fodit foueam incidet in eam.

Oueso quoniam quidem quecumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt quid mysterii notet illa hystoria breuiter ut assoles expone.

Puer a puritate dicitur. Est alia puritas cordis. alia puritas oris. alia puritas actionis. Puritas in corde simplicitas. puritas in ore ueritas. puritas in actione sinceritas. Hos tres pueros diabolus per adorandam altitudinem statue auree fatigat. id est per inanem gloriam mundialis fauoris. Si procedendum non putant. id est tali uicio succumbere refugiunt. fornacem libidinis succendi facit. Sed et hic angelus domini hoc est diuinum auxilium affuit. liberatis pueris. chaldei qui feroces interpretantur quasi demones ardent. hoc est illatas temptationes luunt.

Breue est quod huic compendio se breuitatis narrationis subinfero. Miles quidam Rogerius dictus uxorem habebat que Rymu eldis dicebatur. Hec dum haberet in utero sicut difficiles solent esse casus pregnantium. ex quodam quem in sompnio quod uidisset cepit horrore concuti. et ex ipso horrore paulatim in amentiam uerti. Viderat enim se ferre uexillum per totum sanguine tinctum. et de tali sompnio se cum summo pauore perripuerat. et pauor ille diutius ut demens sensum eius inuerterat. Eo miseriarum deuenerat. ut non solum aliena diceret aliena faceret, sed et de fide catholica illa diceret que aliis iocum. aliis commiserationem induceret. Siquidem se asserebat fidem sub mamillis habere. et eam inde egredi. Verba quidem amentis erant. sed totam morbi materiam circa locum celle rationalis regnare prodebant. Ab amicis itaque undique per loca sanctorum circumducitur. sed nichil optulationis optinere meretur. Sancte trinitatis ecclesiam ingreditur. et in acto negocio non digreditur. consilio aliquorum mergitur in aqua benedicta. creditur diuinis coniurationibus aduersaria uis comprimenda. totum hoc consilium in sinistrum cedit ei. Denique cepit iam deinceps deterius se habere. et facti penitentiam amicis inducere. Instabat festum purificationis beatissime MARIE. In media silua olim agrestis constructa habetur ecclesia dei genitricis. longe aliis ecclesiis forma et situ dissimilis. Huc in ipso festo deducitur. pernoctare ibi permittitur et meritis domine singularis insue purificationis commendatione ab omni insania purgatur et sana reuertitur. Sed ecce dum impedite rationis mulierem exhibeo. qualiter impediri queat ratio que in anima rationalis esse non potest admodum admiror.

Duo sunt impedimenta rationis. unum quod est pena peccati. alterum quod ipsum peccatum est. Primum ex infirmitate. posterius ex uoluntate est. Illud quod ex infirmitate est rationis impedimentum. vii. habet differentias. aut totum occupat cerebrum et dicitur cephalargia. aut fantasyam sola et dicitur scotomia. aut rationem sola et dicitur epilempsia. aut memoriam sola et uocatur lethargia. aut ex colera rubea est et appellatur mania. aut ex colera nigra et uocatur melancolia. aut est ex apostemate orto in miningis cerebri et frenesis nominatur. Sed hec sunt phisice considerationis. et nichil ad nostrum spectant negocium. Verumtamen ad exemplum hec adduxi. quia sicut illud quod ex infirmitate est rationis impedimentum. vii. habet differentias has. sic illud quod ex uoluntate est. vii. habet differentias. Ipsum est quod uiam impedit mandatorum dei. dilatato corde currendam. et efficit pigrum illum tociens a salemone immo a sapientia dei per salemonem derisum. correptum. commonitum. Prima differentia est necessitas corporalis sine qua non uiuitur. sed felicius uiueret qui cum hac computatione curam rei familiaris et huic pertinentia. Qui in hac ideo nexie quam nimie occupatur et sic in futurum non prospicit. audiat illud salemonis. Vade ad formicam